



NVMMVVS VOTIVVS

NOBILIVM BELGII CONFOEDE-
 ratorum: cum effigie Margarethæ ab Austria; Du-
 cissæ Parmensis: gubernatricis in Bel-
 gio: cusus Anno Chri-
 sti 1566.



Philippus Hispaniarum Rex precibus ordinum Belgicorum concessit, ut militum præsidium in Belgio, præter id, quod in finibus fervari solitum erat, nulum relinqueretur: Hispanis in Italiam amandatis. Iter autem in Hispaniam suscipiens sororem suam Margaretham, (quæ Duci Parmæ & Placentiæ nupsit) toti germaniæ inferiori præfecit: stipulatâ à Proceribus fide, quod in obsequio mansuri essent; & sorori in administrandis politicis negotiis non defuturi. Interim actis Concilij Tridentini in Hispaniam allatis, Rex consiliarios suos hortatus ea publicanda curavit: non solum in Hispania, sed omnibus aliis suis in ditionibus. Itaque literas ad sororem Belgij Gubernatricem misit, quibus eam monebat, ut Tridentini concilij decreta sine ulla prævaricatione observanda curaret, atque omnia edicta Caroli V. patris, adversus hæreticos, vim integram ac plenam auctoritatem haberent. His literis promulgatis, non solum populus, sed etiam nobiles attoni-